



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmma Diana**

**Diana, Antonino**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

Lex annullans actum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40647**

*gloss. litt. X.* quos Doctores non solum de formidine, sed etiam de dubio æquilibri loqui, bene probat Palaus *part. 3. tract. 4. resolut. 22. & 23.* Lex non censetur irritans, per hoc solum quod dicat non non possit *part. 10. tr. 12. res. 7.*

## LEX RESERVATIONIS.

**L**egem reservantem casus non se extendi ad peccata commissa, & non confessa ante reservationem censuit Pasqualig *in quest. can. 2. con. 2. quest. 166. n. 1.* Quod probatur, ex ipso, à paritate aliarum legum. Lex enim de novo aliquid disponens non respicit præterita, sed futura, & ided, qui non habent causam novam, sed antiquam, non iudicandi sunt secundum legem novam, sed secundum antiquam. Ac proinde *Rota decis. 818. num. 2. part. 3. diver.* dixit legem subsequentem non se extendere ad præsentia, quæ sunt connexa cum præteritis. Ergo neque reservatio extenditur ad absolutionem à solo peccato, quia quamvis absolutio sit præsens, respicit peccata præterita, tunc à reservatione libera. Contraria sententia est communis Doctorum, & conformis præxi confessoriorum. Tenent eam Floronus, Vgolinus, Naldus, & Bordonus à me citati. *part. 8. tract. 8. resolut. 70.* Ratio est, quia quamvis reservatio non impediat peccata iam commissa, quia iam sunt commissa, poterit deterere ab eis iterum committendis per correptionem, & pœnitentiam à superiori imponendam, qui fuit finis intentus à Tridense *sess. 14. cap. 7.* Neque in omnibus hæc lex reservationis æquiparatur cæteris: nam quamvis ignoretur peccatum esse reservatum, dum committitur, postea notitia habita, subiacet reservationi, quoad absolutionem. *part. 10. tract. 15. resolut. 39.*

## LEX ANNULLANS ACTVM.

**N**on semper lex prohibens actum, annullat illum. Probat, quia prohibitio actus, & annullatio illius sunt diversi effectus legis non necessariò connexi. Probat, exemplis: Ex rei natura, qui vouit Deo castitatem, prohibetur matrimonium inire, & tamen si votum est simplex, matrimonium inire tenet. Vtcrius, actum irritari est gravamen, ergo clare debet apponi. Doctores pro hac sententia sunt vsque ad satisfactorem. Non facile assignatur regula ad dignoscendum actum esse irritum, quando expressè in lege non dicitur. Vide Vasquez *in 1. 2. D. Thom. tom. 2. disputat. 16. cap. 3.* & Suarez, *lib. 5. de legibus cap. 47.* Alii hoc cognoscunt ex consuetudine, & ex communi illius intelligentia ita legem explicante. Ita Præpositus *in part. 2. D. Thom. quest. 95. disputat. 3. num. 53.* Qui etiam docet actum non irritari, quando lex prohibens apponit aliam pœnã, eo quod legislator videatur contentus illa pœna, quin insuper irritatio addatur. *p. 10. tr. 12. res. 6.*

## LOCARE.

**L**ocare est, rem alteri sumpto pretio concedere vtendam. Et, qui dato pretio rem alienam vtendam recipit, dicitur conductor, qui vtendam dat, locator. Circa locationem pauca dicenda sunt.

1. Et primò, Navarrus *Manual. cap. 17. numero 195.* putavit, non esse licitam locare domum meretrici absque iusta aliqua & vrgenti causa: quia hoc est ministrare materiam ad abusum contra castitatem. Limitat hoc Mendocza *in 1. 2. disputat. 173. sect. 30 §. 394.* in casu, quo domus alteri locari potest: nam vnusquisque tenetur vitare actus turpes suæ domi exercendos, quoties absque incom-

*Quid locare?*  
*Quid conductor? & locator?*  
*An liceat locare domum meretrici? & usurario?*  
*Navarrus negat.*